



IN EPISTOLAM

S. PAULI AD PHILEMONEM

PROLEGOMENON.

Philemon, locuples Colossarum civis, ab Epaphra Pauli Discipulo Fide initiatus. Onesimus Philemonis servus, quibusdam rebus hero fureptis, ab eo profugus (a), Romam ad Paulum primis ibi vinculis devinctum transmigravit, eique studiosum admodum famulatum exhibuit, ut diligentius ipse Philemon impendere minime valuisset. Paulus vero de fuga, & furto Onesimum suaviter increpatum, mysteriis deinde Fidei imbutum, baptismo initiavit; pauloque post unam cum hac, quam modò explanamus, Epistolam ad Philemonem remisit.

Hac profectò in Epistola singularis Apostoli eloquentia plurimum elucet (b), qua Paulus Philemonem undique adigit, ut Onesimo veniam indulgeat. Autoritatem precibus, commendationibus laudes, pietati comitatem interferens vivida aded, & convincentia adhibet argumenta, ut ad Dominum cum servo conciliandum nihil esse reliquum arbitremur. Optime res cessit. Philemon non modò Onesimum comiter excepit, verum etiam paulò post ad Paulum Romam remisit, ut ei carcere detento studiosissime famularetur: qui deinde Epistolis deferendis ab Apostolo adhibitus, unam cum Tychico literas ad Colossenses detulit; quibus etiam Romanæ Ecclesiæ, & Apostoli præsertim statum aperuit, cum vinculis, à quibus Paulus paulò post solutus fuit, adhuc detinebatur.

Cum Appia uxor, caterique domestici Fidei nomen dedissent, Philemon aedes suas in Ecclesiam destinaverat, seque Fidelibus patrem, & refugium præstabat: quare Apostolus eius fidem, charitatem, liberalitatemque commendat. Unam cum Uxore Appia, & Aristarcho amico eum sub Nerone in Martyrologiis, ubi etiam die 22. Novembris eius memoria colitur, martyrium consummasse legimus (c). Theodoretus atate (d), Philemonis domus Colossis adhuc videbatur.

Theodoretus (e) ab Archippo Philemonem Fidei mysteriis initiatum putat; nos vero ab Epaphra Colossarum Episcopo verosimilius arbitramur; saltem si ei

domicilium Ephesi non fuerit, ut Grotius defendit (f). Si autem ibi morabatur Philemon, ab ipsomet Paulo potuit erudiri, ut iis Pauli verbis insinuari videtur (g): *Ut non dicam tibi quòd & te ipsum mihi debes.* Philemon tunc Ephesi constituisse potuit cum Paulus ibidem Evangelium enuntiaret, vel alibi saltem Apostolum prædicantem audisse, præterquam Colossis (h), quòd Paulus non abuisse ante hoc tempus, & ubi Philemon, cum Apostolus hanc ad eum Epistolam scriberet, domicilium tunc habuisse videtur.

Onesimus vero, quem Paulus veluti suorum vinculorum triumphum ostentabat, Diaconus, seu Christi Ecclesiæ minister ab Apostolo constitutus, Evangelicis ministeriis se prorsus addixit (i). Apostolorum Constitutiones Bercæ in Macedonia Episcopatu à S. Paulo initiatum tradunt (k). Quædam Martyrologia Onesimum non alium ab eo esse ferunt, de quo, anno Christi 107. veluti de Ephesi Episcopo meminit Martyr Ignatius: cujus tamen sententiæ validum nullum est argumentum (l). A Martyrologiis Apostolus vocatur, & Martyrio consumptus docetur.

Hanc ad Philemonem Epistolam eodem, quo illam ad Colossenses, tempore ab Onesimo delatam Hieronymus censet (m). Theodoretus vero (n), & Interpretum, cateri, postquam Onesimus Romam secundo redierat, eum ab Apostolo datam ad Colossenses tulisse verosimilius ducunt. Cum Marcionita, Tertulliano teste (o), ceteras Pauli Epistolas vitiaverint, hanc incolumem excepere. *Soli huic Epistola brevisitas sua profuit, ut falsarias manus Marcionis evaderet.* Isdem ferè verbis rem perhibet Hieronymus (p): *Pauli Epistolam ad Philemonem saltem, Marcione auctore, doceantur; qui cum ceteras Epistolas ejusdem vel non susceperit, vel quædam in bis mutaverit, atque corroserit, in hanc solum non est ausus manus mittere, quia sua illam brevisitas defendebat.* Hanc nihilominus à Marcionitis penitus vitiatam Epiphanius ingemit (q).

Olum nonnulli (r) de hujus Epistolæ autoritate idcirco ambigebant, quòd sine Spiritus Sancti præcipuo flamine eam

f Grot. ad Phil. l. m. vers. 1.

g Philem. vers. 19.

h Cajet. Est. ad vers. 18.

i Hier. Ep. 62. c. 2.

k Constitut. l. 7. c. 46.

l Vid. Cl. de Tillemont not. 70. in S. Paulum.

m Hier. ad vers. 1. n Theodoret. ad vers. 14.

o Tertull. l. 5. contr. Marcion. c. ult.

p Hier. proem. in Philem.

q Epiphani. contr. hæres. l. 1. c. 41. n. 9.

r Quidam apud Hieron. Proem. in Ep. ad Philem. l. 2. & alii apud Chrysost. & Theophylact.

a Vide Philem. vers. 18. Chrysost. Prolog. alii.

b Scultet. hic. Si quid ingenere suo ferè admirandum est, certè hoc Epistolam est. In ista enim brevisitate singulis ferè verbis singula argumenta sunt subiecta.

c Vide Canis. 1. 2. p. 918. Martyrol. Rom. 22. Novembr. d Theodoret. in Philem. Prolog. e Theodoret. ad vers. 1.

Paulus scripserit, utpotè quæ non totam Ecclesiam sed rem Apostolo peculiarem afficeret. Fortè à Paulo non exaratam addebant, nulliusque esse momenti, cum solam profugi servi Domino suo commendationem ferat. Verumtamen Patres, ut infirma hæc argumenta everterent, & Criticis ora obstruerent, ostenderunt, ab Ecclesiâ huic, veluti ab Apostolo per Spiritus Sancti flamen exarata, Fidem semper adhibitam; ipsumque Marcionem eam ab Apostoli Epistolis nunquam rejecisse; non à fusâ verborum dimensione auctoritatem creari, cum Prophetarum vaticinia hæc Epistolâ nihilo prolixiora in Veteri Testa-

mento occurrerent; Spiritum Sanctum se non minùs præstò exhibuisse Apostolo, cum ad Fideles scribens, ea, quæ comitatis, & grati animi erant, adimpleret, quàm cum de sublimioribus mysteriis loqueretur; paucissimas demique Pauli Epistolas veluti canonicas accipiendas, si earum singulæ, quæ res tantummodo Apostolo peculiare attingerent, rejiciendæ essent. Cæterum plurima servis & Dominis, & Episcopis in suas oves utilissima, & Fidelibus omnibus ad sui solatium & ædificationem accommodata, ab eadem hæc Epistolâ recenferi fatentur.

IN EPISTOLAM

S. PAULI AD HEBRÆOS

PROLEGOMENON.

Epistolam ad Hebræos inter pretiosissima monumenta, quibus Ecclesia Catholica ornetur, habendam ducimus. Rerum in eâ amplitudo, & magni ponderis argumenta à phrasium nobilitate, & stili elegantia plurimum decorantur. In hac præ cæteris maxime laborarunt Interpretes, quòd de hac præ cæteris plurima in controversiam adjecta sint. Fuere primò, qui de firmissimâ ejus autoritate ambigerent; alii etiam, qui Paulo ereptam S. Clementi Papæ, vel S. Lucæ, vel Apollini, aut Barnabæ tribuerent. Quo idiomate, seu Græco, seu Hebræico scripta fuerit, non conveniunt. Discrimen præterea de loco, ad quem missa; de tempore, quo scripta; de iis, ad quos directâ, & demum de ordine, quem ceteras inter Pauli Epistolas sibi vendicat. Nos hæc omnia perpendentes, utrinque argumenta afferemus, & ei, quæ veri speciem magis præstulerit, sententiæ de nostro more adharebimus.

ARTICULUS I.

De Authore Epistolæ ad Hebræos.

a Origen. hom. in Ep. ad Hebr. apud Euseb. l. 6. c. 25. bist. Eccl.

Postquam Origenes ea (a), quæ de hujus Epistolæ Authore feruntur, diu perpendit, à Deo solummodò rem perspectam haberi tandem fatetur. Quamvis autem eam plures S. Clementi Papæ Apostolorum coævo, plures etiam S. Lucæ Evangelistæ tribuerint, addit nihilominus de suâ sententiâ res, & argumenta Apostolo, stilum vero, texturam & ordinem tribuenda esse alteri, qui S. Pauli sensibus plurimum instructus, in hæc Epistolâ col-

dem congererit. Stilum denique, & periosos præ cæteris Epistolis politiores, atque elegantiores esse defendit: cujus sententiæ omnes, qui S. Pauli opera perlegerint, vel hæc in re peritiores habentur, testes exposcit. Conceptus vero eam sui admirationem vendicant, ut eorum, cuiquam, quæ majoris momenti Apostoli scripserint, non sint posthabendi.

Qui Origenis atate hæc Epistolam Clementi Papæ tribuebant, eò ducebantur, quòd hæc cum Clementis ad Corinthios Epistolâ collatâ, simillimus utriusque stili appareat (b); quòd præterea Clemens & conceptus & phrasæ Epistolæ ad Hebræos, quin eam alleget, sæpissimè adhibeat, quo ad ipsummet eam pertinuisse insinuari videtur (c); Multis, post Eusebium Cæsariensem inquit Hieronymus, de Epistolâ, quæ sub Pauli nomine ad Hebræos fertur, non solum sensibus, sed juxta verborum quoque ordinem, abutitur.

Eusebius licet utriusque Epistolæ stili similitudinem, & Epistolæ ad Hebræos fragmenta, quæ suæ Clementis ad Corinthios Epistolæ inseruit, satis animadvertent; ei nihilominus & Epistolam ad Hebræos tribuere non audet, tantùmque ab eo Pontifice ex Hebræo Græcè redditam plurimos arbitratos esse testatur (d). Cuius quidem opinionis ipsum fundamentum infra evertemus, cum nunquam eam Epistolam Hebræicè fuisse exaratam ostendemus. A stili vero similitudine utramque Epistolam ad eundem pertinere Authorem, certò deduci non posse arbitramur (e) Fatemur quidem, à S. Clemente aliquam Epistolam ad Hebræos locum, quin eadem Epistolâ allegetur, usurpari: is vero usus satis convaluerat, ut videre est & apud S. Polycarpum, & S. Ignatium, qui

b Idem ibidem.

c Hier. in Catalogo v. Clementis. Euseb. Hist. Eccles. l. 3. c. 38. Vide Clemens. Epist. 5. l. 7. 36. 43. 58.

d Euseb. Hist. Eccl. l. 3. c. 38.

e Spanhem. de Auth. Epist. ad Hebr. part. 1. c. 7. n. 7. 8.

qui Apostolorum & ipsius Christi verba, veluti propria suis periodis interseruere, sive id præsterint, ut ad sermonis ornatum conferrent, sive ut suis verbis auctoritatem compararent. Omnes præterea, quæ in eâ Epistolâ animadvertuntur, circumstantiæ S. Clementi nullatenus conveniunt, quem aliunde Ecclesia Authorem canonicum nunquam duxit; hujus verò Epistolæ Authori, veluti divino lumine afflato, à Christianæ Religionis initio fidem semper adhibuit.

Patres, qui præ cæteris Clementi favent, eam illi non firmissimè, sed ambigè tribuunt, & S. Lucæ tributam fatentur à pluribus, quorum alii S. Lucam primum & verum Authorem putant, alii verò dumtaxat Interpretem, seu ut summum à Secretis, qui politiori, atque elegantiori stilo Græcè reddiderit, quod humilioribus verbis ab Apostolo acceperat, cujus etiam rei argumentum & stili similitudinem, & S. Lucæ cum S. Paulo necessitudinem, & familiaritatem præferunt.

His omnibus levioribus prætermisissis, in stili similitudine operæ pretium est fusius aliquanto immorari. Qua etiam in re satis non conveniunt Authores. S. Clemens Alexandrinus eosdem, quos in Lucæ Operibus, characteres legere, eundem gustum percipere, eosdem in eâ Epistolâ se intueri colores fatebatur (f). Plures in eadem Epistolâ phrasés Lucæ familiares Grotius reprehendit (g), quamvis autem sublimiori quàm Adæ & Evangelium, stilo contextam asserat, Lucam tamen semper non esse sibi similem, & cum potest, suo genio indulgere, suæque amplioris eloquentiæ aditum patefacere, veluti cum verba Jesu Christi referre non cogitur, se longè se ipso elegantiorē præbere ostendit. Erasmus hujus Epistolæ stilum vel eundem cum stilo Actorum, vel ei proximè accedentem agnoscit (h): Ne Lucas quidem ipse in Actibus Apostolicis parum abest ab hujus Epistolæ eloquentia; nihilominus Lucas illam tribuere non ausus, S. Clementem potiùs ejusdem Authorem appellat. Admodum probabile est, quod subindicavit D. Hieronymus, Clementem Romanum Pontificem à Petro quartum authorem hujus Epistolæ fuisse. Grotius verò, non Græco idiomate à Luca redditam, neque de Apostoli voluntate, elegantiori stilo donatam, sed suo Marte contextam, & ad Hebræos ultro missam asseruit.

Spanhemius è contra S. Lucæ idcirco potissimum nullatenus tribuendam ducit, quòd ab ejusdem consueto stilo longissimè abest (i): Stilus Epistolæ à dictione & phrasé Luca magis Græcè longissimè distat. Jacobus Capellius Epistolæ ad Hebræos Authorem alium prorsùs à Luca constituit, quòd stili animadvertit distinctam (k): Cum hujus epistolæ stilus stilo Lucæ sit dissimilissimus. His sibi mutuo adversantibus sententiis, quanti nobis faciendū sunt Critici peritiores, cum de eloquentiæ vel similitudine, vel diversitate decernunt?

Sunt qui S. Barnabæ Epistolam ad Hebræos tribuant, quorum primus Tertullianus (l): Extat, inquit, & Barnabæ titulus ad Hebræos. Quod verò admirationem magis ingerat, ejus Epistolæ Authorem sine ullâ hæsitatione Barnabam statuit, ac si & Africana, in qua debebat, & Romana, quam oppugnabat, Ecclesia ita vulgò sentirent. D. Hieronymus (m) pluribus in locis, post quem & S. Philastrius Erixiensis Episcopus (n), eandem, quin tamen approbent, opinionem recensent. Ex Recentioribus, Camero enixè defendit, & peculiari sibi ingenio omnium verosimilissimam ducit [o].

Huic sanè sententiæ stili similitudo non favet, cum Epistola ad Hebræos, & ea, quam Barnabæ tribuerunt, longissimè distent; sed postrema hæc, cum sit adhuc discrimen an ad Barnabam pertineat, nullum indè hæc de re deduci potest, quod urgeat; argumentum. Neque eidem opinioni veterum Patrum opitulatur auctoritas; eorum enim nemo sive provector, sive posterior, sive Tertulliano coævus, Epistolæ ad Hebræos Authorem Barnabam appellavit. Nil ex eadem Epistolâ, nil ex Barnabæ vitâ, nil denique ex Ecclesiasticâ Historiâ deduci potest, quod hanc sententiam falciat; quam etiam undè Tertullianus eduxerit, penitus ignoramus. Cum de quadam Barnabæ solo nomine sibi cogniti Epistolâ audisset, & hanc, an Pauli fuerit, in dubium revocari sciret, eandem esse Barnabæ forè putavit. Hac deinde conjecturâ ductus, temeritate sibi satis consueta, eam Epistolam Barnabæ facile tribuit; quam postea sententiam ejus singularitate ducti alii etiam recensuerunt. Argumenta verò, quibus Camero innitur, adè infirma ducimus, ut in iis refutandis immorantes inanem prorsùs laborem susciperemus (p).

S. Martyr Hippolytus (q) in Libro adversus hæreses, & S. Irenæus in Stephano Gobar Trithità, apud Photium (r), Paulum Epistolæ ad Hebræos Authorem alium ab Apostolo esse contendunt; cujus tamen rei argumentum nullum asserunt. Quis præterea Paulus iste, & undè fuerit? quando vixerit? Vir adè disertus, & Scriptor emeritus, quicumque ille fuerit, ab omnium memoriâ sanè non excidisset.

Nonnulli hanc Epistolam (s) Apollo ad Fidem converso adscribunt, Virò utique diserto, Scripturarum perito, Divini honoris tuendi ardore incenso, & apud Ecclesias celeberrimo, quem S. Lucas in Actibus (t), & D. Paulus in primâ ad Corinthios [u] quamplurimum commendat. Si per veteres Ecclesiæ Patres hæc conjectura defendi satis posset, forè in neminem justis, quàm in Apollo, hujus Epistolæ honor conferretur. Verùm hujus sententiæ fautores, præterquamquòd recentiores sint, validis argumentis adè destituantur, ut neque mentem suam certò statuunt, neque eam prodes ab animi hæsitatione, prorsùs abstanteant.

Qui eandem Epistolam D. Marco (x) adscribunt, adhuc infirmioribus argumentis

f Clem. Alex. 1. Hypotypos. apud Euseb. Hist. l. 6. c. 14. g Grot. in Ep. ad Hebr. Pref.

h Erasmus. sub fin. annotat. in Ep. ad Hebr.

i Spanhem. loc. cit. 2. c. 7. & p. 3. c. 1. n. 9.

k Jacob. Capell. prefat. in Ep. ad Hebr.

l Tertull. de Pudic. c. 20.

m Hier. in Catalog. in voce Paulus. Epistola, que fertur ad Hebræos, non Pauli creditur propter stili, sermonisque distantiam, sed vel Barnabæ, juxta Tertullianum; vel Luca Evangelistæ, juxta quosdam; vel Clementis, Romana postea Ecclesia Episcopi.

n Philast. hæres. 41. o Camero quæst. 2. in Epist. ad Hebr.

p Videri possunt refutata à Spanhemio Tract. de Auth. Epist. ad Hebr. part. 2. c. 8.

q Hippolyt. l. contr. hæres. apud Phot. Cod. 121. r Phot. Cod. 232.

s Luther. in Genes. 48. 20. Beza in Epist. ad Hebr. t. Act. 18. 24. u 1. Cor. 1. 12.

x Quisdam apud Spanhem. loc. cit. part. 2. c. 9.

y Quid. apud Sixt. Sen. Biblioth. l. 7. c. 8.

tis nituntur: qui verò ejus Authorem (y) Tertullianum statuunt, ab ipso Tertulliano, eam Barnabæ tribuente, & à Veteribus Tertulliano provectoribus, eam veluti Apostolis coævam, & à Paulo ipso exaratam allegantibus, refelluntur.

Reliquum est, ut sententiam perpendamus, qua Græcæ, & Latine Ecclesiæ ad Hebræos Epistolam S. Paulo uno ore & consensu adscribunt. Omnia profectò, Veterum auctoritas, ejusdem Epistolæ Characteres, Apostoli vitæ circumstantiæ, argumentorum denique, quibus alteri Authori tribuitur, infirmitas, huic sententiæ opitulatur. Præterea si ad eorum quempiam, quibus adscripta est, nullatenus pertinet, ab Apostolo datam verosimillimum jure ducimus.

Favet primò Apostoli Petri auctoritas (z), de quorundam sententiâ (a), Epistolæ ad Hebræos mentionem agentis in secundâ suâ Epistolâ, quam ipse paulò ante mortem dederat, & biennio postquam ad Hebræos tradita fuerat (b): Charissimus Frater noster Paulus, secundam datam sibi sapientiam scripsit vobis, sicut & in omnibus Epistolis, loquens in eis de his, in quibus sunt quadam difficulta intellectu, que indocti, & instabiles depravant, sicut & cæteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem.

Et in loco Petrum de Epistolâ ad Hebræos loquuntur hi Authores indè colligunt, 1. quòd Petrus Paulum scripsisse dixerit ad illos, ad quos & ipse, nempe certò ad Hebræos ad Fidem convertos, ut satis præfertur ex iis verbis (c), Hanc ecce vobis secundam scribo Epistolam, collatam cum primâ Epistolâ initio (d): Petrus Apostolus Jesu Christi electis advenis dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asia, Bithyniæ &c.

2. Quòd Petrus in eâ Epistolâ suam maxime sapientiam à Paulo exhibitam testetur. Pauli equidem sapientia, & præstantissima arcanorum Dei, & Fidei mysteriorum cognitio, quàm in Epistolâ ad Hebræos, nullibi magis elucet.

3. Quòd huic Epistolâ plurima capti difficillima interferantur, quibus pravi spiritus & abuti possunt, imò & abuti fuerit: hujusmodi illud est: Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati... & prolapsi sunt, rursus renovari ad penitentiam (e).

4. Denique quòd Petrus Paulum dixerit ad Hebræos de iisdem scripsisse, de quibus & ipse: Loquens in eis, (Epistolâ) de his. Petrus autem in secundâ Epistolâ ad morum integritatem, ad Dei Judicium opperendum, & ad penitentiam exercendam Fideles hortatur. De his omnibus & Paulus in Epistolâ ad Hebræos (f); in cæteris Epistolis de his simul omnibus non meminit; neque in cæteras, nisi in hanc tantummodo, hi omnes characteres conveniunt. De hac igitur ad Hebræos Epistolâ loquutus est Petrus; quamvis enim nonnulli eam, de qua Petrus, à nobis deperditam asseverent, nullo prorsùs argumento, nullâque conjecturâ id enunciant.

z Hebr. 9. 19. &c. & 12. & 13. & 10. 25. & 37. & 6. 12.

1 Tertull. de Pudic. c. 20.

2. Petrus. 1. 5. a Baron. ann. 66. Pearson. Oper. posth. p. 58. Spanhem. & alii.

b Nos Epistolam ad Hebræos anno Christi 63. & Epistolam Petri anno 65. statuumus.

c 1. Petrus. 2. 1. d 1. Petrus. 1. 1.

Hæc sanè Epistola eam præfert auctoritatem, ut non nisi cuidam ex Apostolis convenire possit. Hanc nihilominus nemo eorum scripsit, qui per ipsummet Christum eruditi fuerit: vir autem eam dedit, qui ab iisdem Apostolis instructus est, quique prodigia, quibus iisdem Apostoli ad suam prædicationem comprobendam apud Judæos incluserant, testatur (g). Ab eis qui audierunt, in nos confirmata est. Hinc Paulum Epistolam non dedisse nonnulli (h) idcirco intulere, quòd alibi enixè semper incubat, ut se ab ipsomet Christo eruditum exhibeat [i], ac ea propter se non ab hominibus, neque ab aliis Apostolis missam ostendat.

Verumtamen inter ea discernendum est, quæ Paulus ab ipsomet Christo per revelationem didicit, & ea, quæ ab Apostolis, & Discipulis, qui Dominum cognoverant, accepit. Christus per se ipsum præcipua Fidei mysteria, & potissimas Catholicæ Religionis veritates Paulo aperuit; ei verò peculiaria Domini gesta & prodigia, ejusque mortis & resurrectionis circumstantiæ Apostoli, & Discipuli renunciaverunt.

Epistolæ Author, sibi itineris comite, Timotheo fratre assumpto (k), ad Hebræos invisendos se collaturum eidem pollicetur: quo quidem ejusdem Author ita præfertur Apostolus, ut de quorundam Eruditorum sententiâ ad discrimen eâ de re penitus dirimendum nil ulterius postulandum sit (l). Suorum etiam vinculorum in ea meminit, ut in cæteris, quas in Italia dedit (m). Methodus eadem, quæ in cæteris, idem allegandi & Scripturas explanandi mos, allusiones eadem, & locorum simillimæ appositiones recurrunt. In id, quod sibi semper potissimum statuit, præ viribus incumbit, ut Legalia inania, Aaron Sacerdotium, & sanguinis sacrificia abrogata, vetus Foedus abolitum, novum constitutum, illud absolutum, illud denique æternum perspicuè ostendat. Hujus Epistolæ epilogus cum iis omnino convenit, quibus Epistola ad Romanos, & utraque ad Thessalonicenses absolvuntur. Vota, salutationes, preces, & peculiaria plurima, quæ in Pauli stilo, & eloquentiâ exercitatis optime dignoscuntur, hanc Epistolam Apostolo omnino tribuendam satis ostendunt.

Quod etiam validissimè probat unanimis Ecclesiæ, Patrum, & Interpretum consensus, quo Paulus ejus Epistolæ Author una voce statuitur. Apud Græcam Ecclesiam nulla unquam hæc de re ambiguitas; Ecclesia verò Latina, quamvis ab ea inter Pauli Epistolâ recensenda aliquantò abstinerit, maturè tamen satis cum Græcis Patribus convenit, & à quarto sæculo ad nostrum usque, nullum de hoc inter utramque discrimen.

S. Clemens Alexandrinus Pauli nomine sæpè allegat, quamvis à S. Luca Græcè redditam arbitretur (n). Origenes etiam, cujus testimonium jam recensuimus, eodem Pauli nomine producit (o): quamvis verò alibi de ejus Authore nonnihil dubitaverit, Apostoli nihilominus sensus ab ea

g Hebr. 2. 3. h Quidam apud Occumen. Pref. in Ep. ad Hebr. Vide Calvin. in Hebr. 2. 3. Grot. alios ibidem.

i Galat. 1. 11. 12. Evangelium quæ non est secundum hominem; neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per revelationem. Vide & Ephes. 3. 3. & 1. Cor. 13. 1. 2. 3.

k Hebr. 13. 2. Fratrem adhuc Timotheum vocat 2. Cor. 1. 1. Coloss. 1. 1. & 1. Thessalon. 3. 2. &c.

l Pearson. Dupini Tillemont. Mill. m Hebr. 10. 34. Legit Vulgata: Nam & vinculis compassi estis.

n Clemens Alex. hypot. apud Euseb. Hist. Eccl. 1. 6. c. 14. & Strom. l. 2. p. 420. & l. 4. p. 514. & alibi.

o Origen. l. 3. contr. Cels. p. 143. Philocal. p. 17. 55. Protrep. ad Mart. & l. de orat. p. 89. 97. 99. hom. 1. 2. 3. 4. in Cant. Comment. in Joan. p. 56. 58. 416. & alibi passim.